

Cambridge University Press

978-1-108-05659-5 - Museum Criticum: Or, Cambridge Classical Researches: Volume 2

Edited by Charles James Blomfield and James Henry Monk

Excerpt

[More information](#)

A N N O T A T I O
IN
E U R I P I D I S M E D E A M
EX RECENSIONE RIC. PORSONI.

IN ea Argumenti parte quam primus edidit Brunckius, vulgo legitur, Τὸ δράμα δοκεῖ ὑποβαλέσθαι, γενναιοφρόνως διασκευάσας, ὡς Δικαίαρχός τε περὶ τοῦ Ἐλλάδος βίου, καὶ Ἀριστοτέλης ἐν ὑπομνήμασι. In voce γενναιοφρόνως latere putat Beckius ὁ Σικυώνιος Νεόφρων. Cujus suspicio si vera est, non Euripides Neophronem, sed Neophro Euripidem imitatus est. Sed vix operæ pretium fuit poëtam pæne ignotum furti literarii insimulare, nec dubito quin contrariam sententiam exprimere voluerit grammaticus, tragicum scilicet omnium ferme nobilissimum alienam fabulam sibi supposuisse. Eadem tradit Suidas, cuius verba sunt: Νεόφρων, ἦ Νεοφῶν, Σικυώνιος, τραγικὸς, οὐ φασιν εἶναι τὴν Εὐριπίδον Μῆδειαν. Pergit dicere, Neophronem παιδαγωγὸς καὶ οἰκετῶν βάσανον primum in scena exhibuisse. Quod verum esse non potest, nisi Euripide antiquior fuit, apud quem haud semel inducitur παιδαγωγός. Quod addit Suidas, Neophronem, quod familiariter cum Callisthene viveret, Alexandri jussu simul cum eo necatum esse, neque cum superioribus ejus verbis conciliari potest, neque multa fide dignum mihi videtur. Nam, ut ad Aristophanis Ach. 10. p. 114. jam monui, idem grammaticus Pherecratem veteris commœdiae poëtam cum Alessandro militasse ait. Qui cum fabulam Αγρίον annis LXV. ante Alexandrum natum docuisset¹, non nisi extrema ætate eum infantem puerum videre, nedum post Philippi obitum in Asia cum eo militare potuit. Adde quod in v. Καλλισθένης non Neophronem, sed Nearchum, ipsum quoque tragicum, neque ab alio quoquam memoratum, cum Callisthene interfectum esse narrat

1. Corsinus Fast. Att. Ol. LXXXIX. 4. CVI. 1.

VOL. II. NO. 5.

B

2

Annotatio in Euripidis Medeam.

Suidas. Revertor ad argumenti verba, ubi παρὰ Νεόφρονος διασκευάσεως, quod vereor ut satis intelligam, pro γενναιοφρόνως διασκευάσας dedit Matthiæ. Lego, Τὸ δρᾶμα δοκεῖ ὑποβαλέσθαι (ó Εὐριπίδης scilicet), τὴν Νεόφρονος (Μήδειαν) διασκευάσας. Pauca quæ e Neophronis Medea hodie supersunt fragmenta, hanc accusationem neque diluunt neque confirmant. Evidem credam Euripidem potius fabulæ œconomiam personarumque mores, quam verba aut sententias a Neophrone mutuatum esse.

Præter Neophronem et Euripidem, Medeam docuerunt Dicæogenes, Diogenes, aliique. Apud Stobæum Serm. LXXVIII. p. 453 = 333. legitur cum lemmate *Euripidis in Medea*, τὸ θρέψαι δὲ ἐν βροτοῖσι πολλάκις | πλείω πορίζει φίλτρα τοῦ φύσαι τέκνα. Quæ verba in Euripidis Medea non reperiuntur. Sed codex Stobæi Parisiensis, teste Brunckio ad Med. p. 400. lemma habet βιότου ἐκ Μῆδειας. Quod si scisset Jo. Alb. Fabricius, tragicorum catalogum *Bioti* vel potius *Bæoti* nomine auctiorem proculdubio edidisset. Latere sub hoc βιότου suspicor verba διονυσίον τυράννου compendio scripta διο. τν. Dionysii tragœdiis haud raro utitur Stobæus. Serm. XCVIII. p. 531 = 407. Dionysio tribuitur, Εἰ δὲ ἀξιοῖς σοι μηδὲν ἀλγεινόν ποτε | μηδὲν ἔσεσθαι, μακαρίως ἔχεις φρενῶν. | θεῶν γάρ ἔξειν βιότου, οὐ θυητῶν, δοκεῖς. Ita Gesnerus, qui hoc fragmentum a Trincavellō omissum primus edidit. Grotius μηδὲ ἐν ἔσεσθαι dedit, quod post μηδὲν ἀλγεινόν ποτε stare non potest. Idem dicendum est de μηδέποτ' ἔσεσθαι. Legendum, ut alibi declaravi, Μῆδει, ἔσεσθαι. Legendum etiam μὴ δει pro μηδὲν apud Aristophanem Eccl. 939. Titulus hujus fragmenti apud Gesnerum est *Dionysii Tyranni*, apud Grotium *Dionysius Tyrannus Alcmena*. In nomine fabulæ erratum esse res ipsa indicat. Serm. CV. p. 560 = 431. legitur alterum Dionysii fragmentum, Θυητῶν δὲ μηδεὶς μηδέν ὅλβιόν ποτε | κρίνῃ, τρὸν αὐτὸν εὖ τελευτήσαντ' ἴδῃ. | ἐν ασφαλεῖ γάρ τὸν θανόντ' ἐπαινέσαι. Quibus verbis fabulæ nomen *Leda* in utraque editione adscriptum est. Cum hoc argumentum comicum potius quam tragicum fuisse videatur, nequeo non suspicari literas ΔΗΔ. et ΜΗΔ. hic confusas esse.

Quædam ex Euripidis Medea citari quæ in ea non extant, præter alios auctor est Hemisterhusius ad Hesychium v. Ἀπαιώνιστον. Nec mirum, cum Medeæ historiam in tres fabulas distribuerit Euripides, quarum quamlibet sub Medeæ nomine faciliter errore allegare potuerunt grammatici. Verba ὡς θερμόβουλον

Annotatio in Euripidis Medeam.

3

σπλάγχνου, quæ in Medea occurrere dicit scholiastes ad Aristophanis Ach. 119. fortasse aut in Peliasin aut in Ægeo legebantur. Medeæ enim personam in Ægeo fuisse clare docet scholiastes ad Med. 168. his verbis, *τοῦ Εὐριπίδου μήτε ἐνταῦθα, μήτε ἐν τῷ Αἴγει δηλώσαντος τὸν Ἀψυρτον ὄνομαστι*. Cujus testimonium eo magis doleo a Musgravio prætermisso esse, quod ille nihil quidquam habuit quod de Ægei argumento moneret. Quæ fuerint Medeæ partes in Ægeo, satis declarat Apollodorus I. 9, 28. §. 5. Μῆδεια δὲ ἦκεν εἰς Ἀθήνας, κάκει γαμθεῖσα Αἴγει, παιδα γεννᾶ Μῆδον. ἐπιβουλεύοντα δὲ ὑστερον Θησεῖ, φυγὰς δὲ (f. ἔξ) Ἀθηνῶν μετὰ τοῦ παιδός ἐκβάλλεται. Rem paullo aliter narrat Hyginus Fab. 26. ita tamen ut uterque scriptor facile ad eandem tragœdiam respicere potuerit. Tali arguento optime convenit Ægei Fr. VIII. Πέφυκε γάρ πως παισὶ πολέμου γυνῇ | τοῖς πρόσθεν, η̄ ξυγεῖσα δευτέρᾳ πόσει. Hactenus hæc. Nunc de locis nonnullis in Medea singillatim dicendum.

v. 9. οὐδὲ ἀν κτανεῖν πείσασα Πελιάδας κόρας | πατέρα, κατώκει τήνδε γῆν Κορινθίαν, | ξὺν ἀνδρὶ καὶ τέκνοισι, ἀνδάνουσα μὲν | φυγὴν πολίταις, ὡν ἀφίκετο χθόνα, | αὐτῇ τε πάντα συμφέρουσ' Ἰάσονι.] Schol. τὸ δὲ ἀνδάνουσα, ὥρη ἀντὶ δοτικῆς, ἀντὶ τοῦ ἀνδάνουσης. Scholiastes igitur non φυγὴ sed φυγὴ legisse videtur, quod longe melius, meo quidem iudicio. Ita noster infra v. 1217. κεῖνται δὲ νεκροὶ παῖς τε καὶ γέρων πατὴρ | πέλας, ποθεινὴ δακρύοισι συμφορά. Herac. 70. ἀμύνεθ'. ικέται δὲ ὅντες ἀγοραίον Διὸς, | βιαζόμεσθα, καὶ στέφη μιαίνεται, | πόλει τὸ ὄνειδος καὶ θεῶν ἀτιμία. Cicero de Oratore II. 66. *Ac verborum quidem genera quæ essent faceta, dixisse me puto: rerum plura sunt, eaque magis (ut dixi antea) ridentur, in quibus est narratio; res sane difficultis.* Appositionem appellant grammatici, e quorum numero consuli potest Matthiae Gramm. Gr. §. 431². Eadem est ratio accusa-

1. Vulgo δευτέρῳ. Fr. I. legendum, Τίς σε μάτηρ (vulgo μάτερ) ἐν δεκάτῃ τόκον ὄνομασε; Sensus est, *cujus mulieris filius es?* Hoc fragmentum et X. se invicem illustrant. Fr. VII. legendum, Ἡ πολὺ (vulgo Ἡπού) κρεῖσσον τῆς εὐγενίας | τὸ καλῶς πράσσειν. Eadem varietas in Or. 1083.

2. Hunc librum Anglice vel potius Latine redditum qui imprimentum curaret, nostris hominibus Græco sermoni studentibus nec Teutonice scientibus magnam utilitatem afferret, etiam si nihil de suo adderet.

4

Annotatio in Euripidis Medeam.

tivi, de quo Matthiæ §. 426. 1. §. 432. 4. Noster Or. 1103. Ἐλένη κτάνωμεν, Μενέλεω λύπην πικράν. Unde fingi potest talis versus, Ἐλένη τέθνηκε, Μενέλεω λύπη πικρά. Admisso φυγῇ, jam facile ratio redditur v. sequentis, αὐτὴ τε (αὐτὴ δὲ Beckius¹ consentiente Stobæo Serm. LXXIV. p. 441 = 325.) πάντα συμφέροντος Ἰάσονι, in quo αὐτὴ prorsus inutile erit, si ἀνδάνουσα ad Medeam referatur. Doctorum virorum conjecturis, φυλῆ (rectius φύλῳ), ψυχῆ, φυῆ, φύτλη, ὄργη, φύσει, occasionem dedit genitivus πολιτῶν, quem in dativum e Barnesii sententia primus mutavit Beckius. Genitivus retineri posset, si inter ἀνδάνουσα et πολιτῶν interposita legerentur verba ὡν ἀφίκετο χθόνα, sive præcederet ἀνδάνουσα, sive πολιτῶν. Prioris constructionis exemplum præbet noster Heracl. 68. κομίζων οὐπέρ εἰσιν Εὐρυσθέως. Id est, ut suo loco dixi, κομίζων (αὐτοὺς) Εὐρυσθέι, οὐπέρ είσιν (δοῦλοι). De altera consulendi Portus ad h. l. et Porsonus ad Or. 1645. Sed exempla quæ ad confirmandum genitivum πολιτῶν desiderantur, hujusmodi sunt, κομίζων Εὐρυσθέως οὐπέρ είσιν; vestra est urbem quam statuo. Si ita unquam locuti sunt tragici, servandum πολιτῶν. Sin minus, Porsono assentiendum, qui πολιτῶν ex scripturæ compendiis male intellectis ortum putat.

v. 21. βοᾷ μὲν ὄρκους, ἀνακαλεῖ δὲ δεξῖας | πίστιν μεγίστην, καὶ θεοὺς μαρτύρεται, | οἵας ἀμοιβῆς ἔξι Ἰάσονος κυρεῖ. | κεῖται δὲ ἄσιτος, σῶμα ὑφειστὸν ἀλγηδόνι,] Opponuntur βοᾷ μὲν ὄρκους et κεῖται δὲ ἄσιτος. Legendum igitur ἀνακαλεῖ τε. Hujus vitii, quo nullum in tragicorum scriptis frequentius, exempla jam ab aliis indicata vide vv. 196. 266. 562.

v. 30. ἦν μήποτε στρέψασα πάλλευκον δέρην, | αὐτὴ πρὸς αὐτὴν πατέρα ἀποιμάζη φίλοι,] Cum de præsenti tempore sermo sit, legendum, ni fallor, ἀποιμάζη. Quoties hæc permittentur, quid attinet dicere? Apud Sophoclem Ant. 311. scribendum ἀρπάζητε pro ἀρπάξητε, quod non est Atticum.

v. 41. ἥ καὶ τύραννον τὸν τε γῆμαντα κτάνῃ,] Schol. Τυράννοις. τὸν Κρέοντα φησί. τὸ δὲ ἔξῆς, ἥ καὶ τύραννον τὸν τε γῆμαντα κτάνῃ. δεινὴ γάρ. Repoue, τύραννον δὲ τὸν Κρέοντα φησί. Verba sunt a superioribus male divulsa, quod

1. In minore scilicet editione, anno MDCCXCII. inchoata, quæ non ultra quatuor primas tragœdias processit.

Annotatio in Euripidis Medeam.

5

sæpiissime huic grammatico accidit. Creontem hic intelligi putant interpres ad unum omnes. Quorum sententia si vera est, nulla omnino Creontis filiae mentio est, quam Medeæ multo majori odio quam patrem fuisse res ipsa satis declarat. Fieri non potuit quin rivali potius quam rivalis patri necem a Medea parari suspicata sit anus quæ hæc loquitur. Eam suspicionem Creonti in mentem venisse ostendunt ejus verba v. 284. Δέδοικά σ' (οὐδέν δεῖ παραμπίσχειν λόγους) | μή μοι τι δράσης παῖδ' ἀνήκεστον κακόν. Quapropter auctor sum ut vocabulum *τύραννον* posthac Anglice reddatur *the princess*. Ambiguitatem quodammodo tollunt verba τόν τε γῆμαντα, quorum sensus est, et qui eam in matrimonium duxit. Verba γῆμας τύραννον leguntur infra v. 873. Si Creontem significaret *τύραννον*, τόν τε νεωστὶ γῆμαντα vel tale quid dixisset poëta. Hæc ratio si minus placet, legendum *τυράννον*, Creontem scilicet et filiam. Sed altera mihi melior videtur, tum ob alias caussas, tum quia pluralia *τύραννοι*, *κοίρανοι*, *βασιλῆς*, solum Creontem plerumque designant. Vide vv. 140. 454. 456. 459. 871. 930. 1127. 1296. Ceterum Aldi scripturam *τυράννων* memorare oblitus est Porsonus.

v. 48. Παλαιὸν οἴκων κτῆμα δεσποίνης ἐμῆς,] Vertit Ennius, monente Porsono, *Antiqua herilis fida custos corporis*. His verbis significetur *nutrix*, necne, judicent lectores. Hoc autem in me recipere possum, nihil esse in Græca fabula, unde colligi possit hanc anum Medeæ nutricem fuisse. Scholiastes bis eam *γραῦν* appellat, quater *πρεσβῦτιν*, nunquam *τροφόν*. Repone igitur, si tanti est, ΘΕΡΑΠΑΙΝΑ pro ΤΡΟΦΟΣ. Contrarius huic error est in Andromacha, ubi Hermione nutrix Θεράπαινα appellatur. Nutricem esse ostendunt illa τέκνον et ὦ παῖ, ab anu nostra nunquam usurpata.

v. 49. τι πρὸς πύλαισι τὴνδ' ἄγονο' ἐρημίαν | ἔστηκας, αὐτὴ θρεομένη σαντῆ κακά;] Ex quatuor quas vidi Porsonianæ recensionis editionibus, Cantabrigensi scilicet, duabus Lipsiensibus et Loudinensi¹, vitium typographicum αὐτὴν pro αὐτῇ exhibent Lipsiensis prior et Londinensis. Lipsienses editiones curavit Schæferus, ipso fatente Meletem. Crit. p. 66. Quis Londinensis curam habuerit, equidem ignoro, neque hunc errorem

1. His non numero minutam Schæferi editionem, qui in quatuor primis fabulis Porsonum, in reliquis Musgravium secutus est.

6

Annotatio in Euripidis Medeam.

indicasse, nisi periculum esset ne semel iterumque admissus in plures deinceps editiones manaret. Sic v. 248. $\tau\acute{u}v$ sine accentu habent omnes editiones¹ jam inde ab Hervagiana tertia.

v. 53. χρηστοῖσι δούλοις ξυμφορὰ τὰ δεσποτῶν | κακῶς πιτνοῦντα, καὶ φρενῶν ἀνθάπτεται.] Solus Matthiæ πιτνόντα. Idem tamen πιτνοῦντ v. 1267. ubi omnes ante Brunckium excepto Lascari πιτνόντ habent. Priore loco πίπτοντα Stobæus, πίτνοντα Eumathius, monente Porsono. Hanc veram esse scripturam monui ad Heracl. 77. Corrigendi accentus vv. 1192. 1202. 1253. 1283. Recte omnes πιτνόντων v. 859.

v. 56. ὡσθ' ἴμερός μ' ὑπῆλθε γῇ τε κούρανῷ | λέξαι
μολοῦσται δεῦρο, δεσποίνης τύχας.] Theognetus apud Athenaeum p. 104. C. πεφιλοσόφηκας γῇ τε κούρανῷ λαλῶν, | οἵς
οὐθέν εἴστιν ἐπιμελές τῶν σῶν λόγων.

v. 62. Τί δὲ ἔστιν, ὁ γεραιός; μὴ φθόνει φράσαι.] Aeschylus Theb. 486. κόμπαζ' ἐπ' ἄλλω, μηδέ μοι φθόνει λέγων. Απ λέγειν;

v. 66. *"Ηκουσά τον λέγοντος, οὐ δοκῶν κλίνειν.] Simulans me non audire.* De hac potestate verbī δοκεῖν vide Valckenarium ad Hippol. 462. BRUNCK. Exemplis adde μαίνεσθαι δοκῶν, *pretending to be mad*, apud Aristophanem Ran. 564.

v. 67. πεσσοὺς προσελθὼν, ἐνθα δὴ παλαιτεροι | θάσσου-
σι,] *Παλαιτατοι*, quod a Brunckio expulsum revocarunt Zim-
mermannus et Matthiae, merus est librariorum error, de quo
Hermannus ad Vigerum nn. 56. 57. Idem fortasse dicendum
de ἀσφαλέστατα v. 741. Apud Tyrtæum III. 5. *χαριέστατος*
exhibit ed. Stobæi Trincavelliana, monente Gaisfordio.

v. 84. Τίς δ' οὐχὶ θνητῶν; ἄρτι γιγνώσκεις τόδε,] Γιγνώσκει [γιγνώσκει] contra MSS. plerosque in edd. quasdam irrespit — Sed γιγνώσκει C. Non igitur error typographicus, ut putat Musgravius. PORSON. Lascaris, Aldus, Hervagius ed. prima, Brubachius, τίς δ' οὐχὶ θνητῶν, (θνητῶν. L.) ἄρτι γιγνώσκεις τόδε, (τόδε. L. B.) &c. Hervagiana secunda ex emendatione,

1. Verbis *omnes editiones* similibusque brevitatis caussa passim utor, cum addere debeam, *quarum usurpandarum mihi copia fuit.* Inter alias, velim sciat lector, neque Lascaris neque Brubachii editionem a me inspectam esse. Si quid a Porsono aliisque prætermissum ex his editionibus asfero, id mecum ab amico communicatum est, quia eas duobus tribusve locis meo rogatu inspexit. (*tiv' Lasc. Brub.*)

Annotatio in Euripidis Medeam.

7

τίς δὲ οὐχὶ θυητῶν ἄρτι γινώσκει τόδε, &c. Itaque ceteræ omnes ante Musgravium. Fuisse apud veteres qui hanc scripturam amplexi essent, diserte testatur scholiastes, cuius testimonio uti debuit Musgravius. Cum ἄρτι in hac scriptura sensum minus commodum præberet, versum ita refinxerunt histriones : *τίς δὲ οὐχὶ θυητῶν τοῦτο γινώσκει σαφῶς.* Histrionum audaciam sæpe reprehendunt veteres grammatici in scholiis allegati. De qua re vide Valckenarium ad Phœn. 1286.

v. 85. *ως πᾶς τις αὐτὸν τοῦ πέλας μᾶλλον φιλεῖ,*] Scripsit Euripides *τῶν πέλας*, ut legisse videtur scholiastes. Ita Æschylus Prom. 335. Suppl. 388. Eum. 416. 507. Sophocles OEd. C. 803. Ant. 479. Aj. 1151. Phil. 340. El. 551. Alc. VIII. 3. Euripides Hipp. 441. Heracl. 2. Hel. 739. 921. Ion. 1248. Herc. 192. 591. 730. Alcmena XII. 1. Bellerophonte XXIII. 1. Dictye XIV. 3. Rhadamantho II. 6. Incert. CCXIV. Eodem sensu reperitur *τῶν πλησίον* apud nostrum Hec. 982. *Σῶσόν νυν αὐτὸν, μηδὲ ἔρα τῶν πλησίον*¹. Ubi varietas a Porsono memorata *τοῦ πλησίον* meam emendationem confirmare videtur. Bis apud Theognidem legitur *τὸν πλησίον*, vv. 221. 611. Qui *τὸν πέλας* dixerit veterem et probatum scriptorem nullum reperio, præter Herodotum III. 142. ἐγὼ δὲ τὰ πέλας ἐπιπλήσσω, αὐτὸς κατὰ δύναμιν οὐ ποιήσω. Ubi Atticus scriptor, ni fallor, dixisset *τοῖς πέλας*.

v. 86. *οἱ μὲν δικαίως, οἱ δὲ καὶ κέρδον χάριν,*] Noster Herc. 633. *πάντα τάνθρωπων ἵστα.* | *φιλοῦσι παιδας οἱ τ' ἀμείνοντες βροτῶν,* | *οἱ τ' οὐδὲν ὄντες.* Pro *φιλοῦσι παιδας* finge poëtam dixisse *φιλοῦσ' ἑαντοὺς*, et hujus loci sententiam habebis, qui Musgravio Brunckioque ita obscurus visus est, ut ille versum excidisse, hic hunc ipsum spurium esse crediderit. Probos etiam homines suæ rei studere auctor est Sophocles OEd. C. 309. *τίς γὰρ ἐσθλὸς οὐχ αὐτῷ φίλος;* Passim autem sistuntur δίκη et κέρδος tanquam sibi contraria. Vide Heracl. 2. Hypsip. VI. Kakōis τὸ κέρδος τῆς δίκης ὑπέρτερον.

v. 87. *εἰ τούσδε γ' εὐνῆς οὐνέκ' οὐ στέργει πατήρ;*] Ei hic επει, quandoquidem, significare monent Reiskius et Brunckius. Alii aliter interpretantur. Nemo autem animadvertisit, saltem

1. Notanda ellipsis articuli haud ubivis obvia, *τῶν πλησίον* pro *τῶν τῶν πλησίον*.

8

Annotatio in Euripidis Medeam.

nemo monuit, Euripidem, si *ei* dixisset, scripturum fuisse, *ei* τούσδε γ' εὐνῆς ἔνεκα μὴ στέργει πατήρ. Quærenda igitur alia particula, quæ et meliorem sensum reddat, et negativam οὐ sine solœcismo sibi subjici patiatur. Scribendum καὶ constat ex simili errore in Hipp. 1007. καὶ δὴ τὸ σῶφρον τούμὸν οὐ πείθει σ' ἵσως. Ubi *ei* δὴ omnes edd. ante Musgravium, κεῖ μὴ pessime Valckenarius et Brunckius. *Kai* nostro loco est even so-

v. 122. τὸ δὲ εἰθίσθαι [ζῆν ἐπ' ἴσοισιν | κρεῖστον.] Tὸ γὰρ edd. et MSS. Mutavit Brunckius. PORSON. Schol. Tὸ γὰρ εἰθίσθαι. ὁ γὰρ ἀντὶ τοῦ δέ. Matthiae τὸ γὰρ, ut vulgo. Idque satis defendant Marklandi verba ad Suppl. 8. Infra v. 573. γὰρ defendi potest e Phœn. 1620.

v. 127. τὰ δὲ ὑπερβάλλοντ' | οὐδένα καιρὸν δύναται θνατοῖς.] Explicant plerique quasi sensus sit, ὁ μέγας ὄλβος οὐ μόνιμος ἐν βροτοῖς, tritissima sententia. Hos reprehendit Brunckius, ipse reprehensus ab Hermanno Dissert. de Ellipsi et Pleonasmo p. 131. qui interpretatur, οὐδὲν καίριον δύναται, vereor ut recte. Οὐδένα καιρὸν est οὐκ εἰς καιρὸν, ἀκαίρως. Noster Hel. 486. καιρὸν γὰρ οὐδέν' ἥλθει, i. e. *intempestive enim accessisti*. Nostro loco non est *intempestive*, sed *immoderate, supra modum*. De qua significatione si quis dubitat, consulat lexicographos, præcipue H. Stephanum v. *Kairos*¹. Δύναται est *ἰσχύει*, *σθένει*, ut alibi passim. Verba igitur οὐδένα καιρὸν δύναται θνατοῖς significant *plus aequo valent mortalibus*, i. e. *potentiores quam expedit reddit homines, ad tempus scilicet. Pergit enim poëta, μείζους δὲ ἄτας, ὅταν ὄργισθῇ | δαίμων, οἴκοις ἀπέδωκεν.*

v. 131. "Εκλυνον φωνὰν, ἕκλυνον δὲ βοὰν | τὰς δυστάνου Κολχίδος. | οὐδέ πω ἡπιος. ἀλλ' ὁ γεραῖα,]" Post Κολχίδος fortasse excidit οἰκτράν. Οἰκτρὸν ίάλεμον dixit noster Suppl. 281. οἰκτρὰν αὐδὰν Sophocles El. 193. ὅπα ibid. 1067. Homerus Od. Λ. 420. οἰκτροτάτην δὲ ἡκουσα ὅπα Πριάμοιο θυγατρός.

1. Euripides Iph. T. 414. φίλα γὰρ ἐλπὶς ἐγένετ' ἐπὶ | πήμασι βροτῶν, ἀπληστον ἀνθρώποις | ὄλβου βάρος, οἱ φέρονται | πλανητες ἐπ' οἶδμα, πόλεις τε βαρβάρους περῶντες, | κεινῷ δόξῃ. γνώμα | τοῖς μὲν ἄκαιρος ὄλβου, | τοῖς δὲ εἰς μέσον ἤκει. (Ita, aut non multo secus, legendum videtur. In stropha legendum v. 403. ἔβασαν, ἔβασαν, ἀμικτον αἴαν, ἔνθα κουρᾳ | Δία τέγγει βωμοὺς | καὶ περικίνων να|οὺς αἴμα βρότειον.) Significat γνώμα ἄκαιρος ὄλβου, ni fallor, *cupido immodica divitiarum.*

Annotatio in Euripidis Medeam.

9

v. 134. λέξον. ἐπ' ἀμφιπύλου γὰρ ἔσω | μελάθρου βοὰν ἔκλυνον. | οὐδὲ συνήδομαι, γύναι, | ἄλγεσσι δώματος.] Si metrum dactylicum est, quod affirmare nolim, legendum γόνον ἔκλυνον et ὡ γύναι. Boān e v. 131. facile irrepere potuit. Γόνον in re simili habet noster Alc. 88. Suppl. 87. (ubi legendum γόνον τ') El. 1211. Quod ad ὡ γύναι attinet, sæpius, fateor, ὡ male addunt quam omittunt librarii. Omitunt tamen haud raro. Vide nostrum Ion. 415. 925.

v. 138. ἐπεὶ μὴ φίλια κέκρανται.] Dixisset Euripides, ut mihi videtur, ἐπεὶ οὐ φίλια κέκρανται. Reponendum igitur, Porsono non invito, ἐπεὶ μοι φίλια κέκραται, ex quo amicitia mihi cum hac domo intercessit. Saltem legendum ἐπεὶ μοι, in quo consentiunt quatuor codices, liber Puteani, et ed. Lascaris.

v. 139. Οὐκ εἰσὶ δόμοι. φροῦδα γὰρ ἥδη | τάδ. ὁ μὲν γὰρ ἔχει λέκτρα τυράννων. | η δὲ ἐν θαλάμοις τάκει βιοτάν | δέσποινα.] Φροῦδα γὰρ ἥδη τάδ pro φροῦδα τάδ ἥδη solus Porsonus, idque ex conjectura, appositis scholiastæ verbis: ἀπὸ δὲ ἀρσενικοῦ εἰς οὐδέτερον μετέσπη. φροῦδα γὰρ τάδε. τὰ οἰκήματα λέγει. Distinguendum, φροῦδα γὰρ τάδε, τὰ οἰκήματα λέγει. Γὰρ ipsius est grammatici, ut alibi passim. Ita v. 56. οὐρανὸν γὰρ λέγει νῦν τὸν ἄερα. v. 67. πεσσοὺς γὰρ νῦν τοὺς τόπους τῶν κυβευτῶν. v. 120. τὸ γὰρ πολλὰ ἀντὶ τοῦ ἐπὶ πολύ. v. 127. τὸ γὰρ λῷστα, ἀντὶ τοῦ λῷστον. v. 176. ὄμφὴν γὰρ νῦν τὴν φωνὴν λέγει. v. 764. εἰς ὕδον γὰρ, ἀντὶ τοῦ, εἰς τὴν τῆς νίκης ἀρχὴν ἐληλύθαμεν. v. 906. τὸ γὰρ παρεμπολᾶν ἀντὶ τοῦ κερδαίνειν τίθεται. Non igitur scholiastæ auctoritate nititur φροῦδα γὰρ ἥδη τάδ. Omnes præter Porsonum φροῦδα τάδ ἥδη, ut jam dixi, cum plena distinctione. Deinde ὁ μὲν γὰρ ἔχει δῶμα τυράννων omnes ante Brunckium, præter Lascarin et Musgravium, qui λέκτρα τυράννων dederunt. Musgravii conjecturam, τὸν μὲν γὰρ ἔχει λέκτρα τυράννων, adoptarunt Brunckius et Zimmermannus. Rectius Beckius, imo omnino recte, mea quidem sententia, τὸν μὲν γὰρ ἔχει δῶμα τυράννων. Sed rectius, opinor, inquit Porsonus, servabitur nominativus, ut ὁ μὲν et η δὲ accuratius opponantur. Mutatio casus, si opus esset, sexcentis exemplis defendi posset, e quibus unum tantum afferam. Noster Or. 1399. τῷ μὲν ὁ στρατηλάτας πατήρ ἐκλήζετο. | ο δὲ παῖς Στροφίου, κακόμητις ἀνήρ. Quod addit Porsonus, Jasonem rectius dici ἔχειν quam ἔχεσθαι, verissimum est, si legatur λέκτρα. Sin autem legatur δῶμα,

VOL. II. NO. 5.

C

10

Annotatio in Euripidis Medeam.

Creontis regia rectius Jasonem habere dicitur, quam ab eo haberι. Utrum exhibeant scripti codices, incertum est. Tacent enim de hac varietate Musgravius et Brunckius. Sed fac omnes λέκτρα exhibere, quis nescit quoties contra omnes fere codices et Lascarin veram scripturam dederit Aldus? Vide vv. 217. 425. 480. 491. 509. 543. 656. 741. 812. 906. 925. 1050. Ceterum Matthiae, nescio quo auctore, χω̄ μὲν γὰρ ἔχει λέκτρα τυράννων scripsit. Malim, καὶ ὁ μὲν γὰρ ἔχει. Vide Hippol. 246. Iph. A. 5. 15. El. 1317. Sed particulas καὶ μὲν γὰρ ita conjunctas in tragorum scriptis non inveni.

v. 148. Ἄϊες, ὡ̄ Ζεῦ, καὶ γᾶ, καὶ φῶς, | ιαχὰν, οἴαν ἀ̄ δύστανος | μέλπει νύμφα;] His verbis respondent v. 174. Πῶς ἀν̄ ἐς ὄψιν τὰν ἀμετέραν | ἔλθοι, μύθων τ̄ αὐδαθέντων | δέξαιτ̄ ὄμφαν; Si certum esset ιαχὰν medium apud Atticos semper producere, facile reponi posset ἀχὰν, ut monui ad Heracl. 752. Sed ιαχὰν defendit Electrae v. 707. κάρυνξ ιάχει βάθρους, cui respondet v. 721. πείσας ἀλοχον φίλαν. Ubi gratum mihi fecisset Euripides, si ἀκοιτων scripisset. Verum in hac voce, ut in φάρος aliisque quibusdam, nonnihil licentiae poëtis Atticis concedendum videtur. Participium διαλακήσασα tertiam producit apud Aristophanem Nub. 410. Subjunctivus λακήσης primam corripit Pac. 382.

v. 151. τί σοι (τί τοι edd. Lips.) ποτὲ τᾶς ἀπλάστον | κοίτας ἔρως, ὡ̄ ματαία, | σπεύσει θανάτον τελευτάν; | μηδὲν τόδε λίστον.] Idem ordo versiculorum infra vv. 435—438. Recte Matthiae τίς σοι, ut vulgo. Scholiastes legisse videtur, τίς σοι ποτε τᾶσδ̄ ἀπλήστον κοίτας ἔρως. Fluctuant libri inter ἀπλήστον et ἀπλάστον, quorum hoc fortasse nimis Doricum est. Sed nescio an scripserit poëta τᾶς ἀπλάτον κοίτας, eodem sensu quo τᾶς ἀνάδρου κοίτας v. 435. Απλατον propriæ est id cui nemo πελάζει, πλάθει, sive πλησιάζει. Soph. Trach. 17. πρὶν τῆσδε κοίτης ἐμπελασθῆναι ποτε. Idem Phil. 677. Ixionem appellat τὸν πελάταν λέκτρων ποτὲ τῶν Διός. Ἀπλατον pro ἀπλαστον tragico Rhes. 310. reddidit Piersonus ad Mœrin p. 25. Solennis est hæc varietas.

v. 157. κείνῳ τόδε μὴ χαράσσου. | Ζεύς σοι τόδε συνδικάσει.] Τάδε [v. 158.] Ald. Τόδε ex A. L. Brunckius. PORSON. Male, cum tantillo intervallo præcedat alterum τόδε. Scribendum etiam συνδικήσει, monente Musgravio. Scholiastes mendose σὺν δίκῃ, ita tamen ut συνδικήσει potius quam συνδικάσει legisse